



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Compendium Qvæstionvm Regvlarivm R. admodum P.
Emanuelis Roderici Lusitani, S. T. Lectoris Prou. S. Iacobi
Reg. Obseru. Ordin. Mino. Diffinitoris**

Rodrigues, Manuel

Lvgdvni, 1621

Agere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41743

non admittere : accusationem tamen iustam , ad compensandam iniuriam tertio illatam propositam, minime rescindere potest. *art. 6.*

Licet denunciatus non teneatur ad probationem , nec incurrat pœnam talionis , si in probatione causæ deficiat , sicut accusans : peccat tamen mortaliter denunciando iudicialiter , præuidens probabiliter defuturam iuridicam probationem, *art. 8. & quest. 6. art. 9.*

Quomodo accusans & accusatus debeant esse eiusdem fori , & alia quædam etiam Clericis communia profequitur prædicta. *quest. 7.*

A G E R E.

Licet Monachus nihil habens proprij , nec agere , nec conueniri possit , hoc tamen fallit , quando est in studiis de licentia suorum Superiorum : tunc enim omnia illi licent , sine quibus in studio esse commodè nequit : vnde licet iure prohibeatur Monachus agere contra Abbatem , tunc nihilominus licitum est illi , saltem implorando iudicis officium , vt sibi sumptus
neces

ALIENATIO. 25

necessarij subministrantur, tom. 3.
quæst. 67. art. 6.

Quod si Syndicus Fratrum Minorum agat nomine Papæ pro Conuentu, & succumbat, verisimiliter potest ad expensas condemnari, cum vt talis habeat aliquid proprij. *ibidem.*

ALIENATIO.

Vide Procurator.

ABbates & alij Pra'lati Conuentuales, qui non habent omnimodam iurisdictionem, nec Monarchicam administrationem rerum Monasterij circa alienationes, non possunt vlllo modo siue ad tempus, siue ad semper, res mobiles aut immobiles alicuius momenti absque euidenti necessitate, aut utilitate Conuentus, & consensu communitatis Capitulariter congregatæ, in scriptis obtento, alienare sub pœnis excommunicationis & suspensionis ex iure communi alias ius non transfertur, nec acquiritur dominium, sicut nec è contrà potest Conuentus quidequam alienare sine expresso Superioris